dignitatis ſublimitate dedecorantur, ipſomet ſublimiſſimi loci ſplendore obſcurantur. Civitas, & mons; lucerna, & candelabrum decori ſibi invicem eſſe debent. Homo ad dignitatis faſtigium evehendus talis eſſe debet, ut meritis ſuis poſſit vel ſublimiſſimo loco ſplendorem conciliare, ut dignitas ipſa ei ſplendori ſit. Hinc illud Regis Theodorici apud Caſ-

Caſſiod.

ſiod. lib. 1. Epiſ. 13. loquens de illuſtri viro Eugenite Magiſterii honore exornato. *Dedimus itaque perſonam tantis honoribus parem, ut alterutro fulgore fulgentes mutua ſe gratia qualitatis ornarent.*

§ V.

Primarius Capitis 24. Scopus extat Chriſtus Dominus, & quà Homo, & quà Deus eſt.

27. Ex præunte Facula bonam hanc lucem noſtris conciliare Comentariis, operæ pretium erit. Verum igitur, & tempeſtivum aſſertum eſſe ſtabiliamus, ut periti Lectoris palato mellitum aliquid ſubminiſtremus. Et quidem principio, nobis ultrò applaudent quotquot ſeriò arbitrantur, Chriſtum Jeſum

Chriſtus totius ſacræ Scripturæ finis & ſcopus primarius

verè eſſe Prophetarum, imò & totius ſacræ Scripturæ argumentum, finem, & ſcopum primarium, in quem omnes divinæ paginæ collimant, quem ſonant, clamant, & tanquam verum Deum, & Hominem vaticinantur. Qua de re videſis unum pro multis noſtrum Mendizan in Proœm. Annot. ad lib. Reg. ſect. 1. Meum tamen addiderim ſuffragium, vel potiùs acutum Ruperti inventum: nam expendens arcanum illud Joſephi ſomnium Ge-

Gene. 37. 7.

neſ. 37. 7. *Putabam, nos ligare manipulos in agro; & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare; veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum:* ingenioſè quærit, quid per Joſephi manipulum, quid per manipulos fratrum, portendatur? Quò verò ſpectet illa manipulorum adoratio? Reſpondet lib. 8. *Por-*

Ruper.

rò manipuli fratrum Lectiones ſunt legis, & Prophetarum, quas Judæi ligantes quaſi manipulos ligant & colligunt. Subtexit ſapienter de ſupereminente Joſephi manipulo à reliquis adorato: *Ecce palàm omnibus eſt, & de toto mundi agro ſpectatur manipulus Chriſti ſtans, & manipuli fratrum ejus circumſtantes, & adorantes; id eſt, Evangelii fida meſſis. & frumentum optimum, & unicum Chriſti aſſerens imperium, omneſque legis, & Prophetarum Lectiones illi teſtimoniorum præbent obſequium, debitumque adorationis famulatum.* En tibi quomodo unum Jeſum univerſa legis & Prophetarum ſcripta, velut perfectiſſimus circulus ſuum centrum reſpiciant; tanquam corona caput circumdent; ceu chariſſimi amici ſalutent, ac veluti ſervi adorent, revereantur, obtemperent. Nónne hoc illud eſſe dixeris, quod

Pſ. 2.

Pſalmodus monebat? *Apprehendite diſciplinam.* Vel ex Hebræo fonte: *Amplectimini, adorate Filium, triticum, faſciculum ſpicarum* Certè Prophetæ omnes toti fuêre in Chriſti Domini apprehendenda, in eo amplectendo, & adorando tanquam Dei Filio, & faſciculo ſpicarum: una illorum vox *Chriſtus* erat. Cujus rei pulchram exhibet rationem S. Hie-

Pſ. 67. 13.

ronymus ad [illa Pſ. 67. 13.] *Rex virtutum dilecti dilecti*: ſic aiens: *Dilectus* Chriſtus, *quia ſi quis aliquem diligit, ſemper in ore eum habet. Ergo Spiritus S.* (qui eſt præcipuus ſacræ Scripturæ auctor) *propter amorem, quem habet in Filio, frequenter ejus meminit.* Per ora quidem Prophetarum, qui eapropter, *os Dei* nominari ſolent in litteris inſpiratis. Iſai. 1. 20. & c. 30. 2. Jerem. 15. 14. Lucæ 1. 70.

S. Hiero.

28. Verùm, ad Siracidem noſtrum deveniamus, & quid de illo ſentiendum, ſigillatim ipſemet præclarè manifeſtet cap. 43. 25. ubi in primis Chriſti Jeſu perſpicuè meminit. *In ſermone ejus ſiluit ventus, cogitatione ſua placavit abyſſum, & plantavit in illa Dominus inſulas.* Sic habent Biblia Sixtiana correctiora: antiquiora verò tam Græca, quàm Latina exemplaria, ita efferunt: *& plantavit illam Dominus* JESUS: *nam pro* νήσους, id eſt, *Inſulas*, legunt Ἰησοῦς, id eſt, JESUS. Quam lectionem ex veteribus multi ſequuntur, & verbis illis commendari exiſtimant divinam Chriſti potentiam, qua vento, & mari imperavit Matth. 8. 26. Subjungit è veſtigio Siracides: *Propter ipſum* (nempe Jeſum) *confirmatus eſt itineris finis, in ſermone ejus compoſita ſunt omnia; multa dicemus, & deficiemus in verbis; conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus.* Expende verba, quibus nihil pro inſtituto noſtro luculentius. Jeſum Chriſtum *finem itineris* appellat, id eſt, metam & ultimam lineam, in quam, non ſolùm, quæ facta ſunt, deſtinantur, ac diriguntur, ut quæ ipſius ſermone compoſita ſunt; ipſe enim dixit, & facta ſunt, ſed omnia, quæ ſacris litteris continentur, in eum, tanquam in ſcopum, collimant proſpero, & feliciſſimo itinere. Unde Jeſum appellat *conſummationem ſermonum in omnibus*, vel juxta Græca exemplaria: *conſummatio verborum ipſe eſt univerſum*, vel *ipſe eſt omne.* Id eſt ſumma dictorum, & dicendorum non ſolùm ab aliis Prophetis, ſed à me ipſo præſertim, qui *Jeſu* nomenclaturâ gaudeo, ipſe eſt Chriſtus Jeſus, ad quem avolo, quaſi ad metam, ad amorem, ad delicias meas.

Eccle. 43. 52.

Summa dictorum ab aliis Prophetis, & dicendorum à Siracide, Chriſtus extat.

29. Atqui, ut res locupletior appareat, obſervo, nomen συντέλειαν ſignificare non ſolùm *conſummationem*, ſed etiam *ſummam*, & *ſcopum*, à verbo συντείνω, quod eſt *tendere, aliquò ſpectare, ad ſcopum dirigere.* Sic Jeſus dicitur ab Iſaia *conſummatio abbreviata*, & *abbreviatio* c. 10. 22. & à LXX. quos Paulus ſequitur ad Rom. 9. 28. *verbum conſummans, & abbrevians.* Quibus verbis oracula Prophetarum in Chriſto adimpleta vocari conſummationem & abbreviationem, ſentiunt Ambroſius in Prolog. Epiſt. ad Galatas, Procopius in Iſaiam, & alii. Vel ſenſus eſſe poteſt: Verbum conſummans, & abbrevians dicta Prophetarum omnia, eſſe unum Jeſum. Quaſi dicat: *Sera Jeſus la ſuma, la cifra, la abbreviatura, el epilogo, y compendio de todas las Eſcrituras ſagradas.* Quod enim Paulus ad Rom. 10. 4. voluit illis verbis, *finis legis Chriſtus*: nam illi voci Græcæ τέλος (id eſt, *finis*, *conſummatio*, *ſumma*) affini noſtro συντέλεια, & συντελῶν, reſpondet Hebræum, *Kala*, id eſt, *conſummatio, ſumma, ſcopus*, Id quod mirè conſonat noſtro Siracidi: præmiſerat enim multa ſe dicturum de Chriſto Jeſu, pro virili ſanè multaque orationis copia: ſubjungitque ilicò *conſummatio autem ſermonum ipſe eſt in omnibus*, vel *univerſum*: ac ſi dicat: *La ſuma y cifra de quanto ſea dicho, es Chriſto Jeſus, y eſte quiero ſea el fin y blanco de quanto digere.*

Iſai. 10. 22.

ad Roma. 9. 28.

ad Roma. 10. 4.

כלה

30. Ad quam jam opportuna eſt alia ejuſdem vocis συντέλεια, uſurpatio: ſignificat enim *tributum, vectigal, ſtipendium.* Unde Demoſthenes in Harpocrate, εισφόρα εἰς συντέλειαν, *vectigales, & ſtipendarios faciet.* Dixiſſem, Prophetas omnes eſſe Chriſti ſtipendiarios, tributarios, & vectigales; noſtrum ſignatim Siracidem Jeſum, utpote ſanctiſſimo Jeſu nomine præproperè condecoratum. Etenim, alii Vates Chriſto Jeſu tributa pendunt, & creditores ſunt, vel ſolùm de cauſa, quia ab illo habent quòd Prophetæ ſint. *Jeſus* (ait Auguſt. in Pſ. 142.) *ipſe ſe in Prophetis prædicabat, quoniam ipſe eſt Verbum Dei, nec illi tale aliquid dicebant niſi pleni Verbo Dei. Annunciabant ergo Chriſtum pleni Chriſto, & illi eum venturum prædicebant, quos præcedentes non deſerebat.* Unde multi Eccleſiæ Patres & Doctores jure arbitrantur ad Chriſtum, ut æterna Dei ſapientia eſt, ſpectaſſe, antiquos Prophetas creare, inſtituere, diſponére, exornare; Prophetias dictare, exponere. Sic *Juſtinus* Martir Dial. cum Triphon. circa finem, *Clemens Alex.* 1. Pædag. c. 11. *Tertull.* 1. contra Marcio. c. 27. & lib. 3. c. 6. & lib. 5. c. 19. & contra Praxe. c. 14. & 16. *Origen.* Homil. 7. in c. 7. Jeremiæ, *Cypria.* 2. Teſtimo. c. 5. & 6. *Ambroſ.* 1. de Fide c. 5. *Auguſt.* Epiſt. 112. c. 5. & 6. & lib. 1. de ſer. in monte ſub initium, *Cyrill.* Catecheſ. 14. *Athana.* lib. de beat. Verbi Dei, & alii apud Pamelium Paradoxa 19. Tertullian. & Pinedam noſtrum lib. 3. de Salom. c. 8.

Omnes Prophetæ ſtipendiarii & vectigales Chriſti Ieſus & quare.

S. Auguſt.

Juſtin. Clemens Alexand. Tertull. Origen. Cypria. Ambroſ. Auguſt. Cyrill. Athana. Pameli. Pineda.

31. Cùm ergo Chriſtus Jeſus fuerit Prophetarum omnium Præſes, Rex, Dominus, & Archipropheta, rationi conſonum erat, ut ipſius eſſent vectigales, ſive creditores, ad eum, ejuſque magnalia, perinde atque ad ſuum finem & ſcopum, vatidicam mentis aciem intendendo, illum annunciando, & commendando. Hoc unum Prophetarum omnium vectigal uni Jeſu Chriſto, vel à mundi primordiis, perſolutum. Quid ſi non ſolùm Prophetæ cognomen, ſed nomen etiam creditor eſſet, & tributarius? Id inter alios Prophetas noſter habet Siracides Jeſus. Nonne vel ipſum Jeſu nomen in Chriſto reſplendens tributarium hominibus eſt? Ita putat Ambroſius de hoc nomine Pſ. 118. *Tibi munificum, tibi fructuoſum, tibi tributa pendit, & bona tributa, non pecuniæ, ſed gratiæ.* Exemplo nobis ſit decantatiſſimus ille Publicanus (apud Lucam c. 18.) qui timore totus humilis, ſua peccata conteſtans, & pectus crebrò percutiens deſcendit juſtificatus. Quid hoc? Audi Baſilium Seleucum Orat. 35. *O Publicanum clementiæ mercatorem! ô Publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petit! Non deſiiſti vectigal poſcere, dum Chriſtum ipſum vectigalem feciſti.* Audis, vectigalem Chriſtum? Vel ob Jeſu nomen ſibi impoſitum tributarius gratiæ, ſalutis vectigalis eſt. Quid mirum? vectigales ſimus ei univerſi. Ille præſertim vectigalis eſt, qui vectigali Jeſu nomine gaudet, quemadmodum Siracides noſter. *Jeſu* nomen eſt illi *bonum nomen*; ſic Latini appellant creditorem, quà ſolvendo ſit, & obligatam fidem liberare facilè poſſit. *Bonum nomen* Jeſus Siracides, qui obligatam fidem per nomen abundè ſatis toto hoc capite 24. liberat, unum Jeſum corporatum Verbum, tanquam primarium, ac præcipuum ſuæ Prophetiæ ſcopum, inſpiciendo, dilaudando, extollendo.

Vel ipſum Jeſu nomen tributarium hominibus eſt.

S. Ambroſ.

S. Baſil. Seleuc.

Publicanus Chriſtum fecit ſibi vectigalem

Siracides Ieſus vectigali Ieſu nomine gaudens vectigalia illi pendit.

32. Rurſus, aſſertum noſtrum Patrono gaudet præclariſſimo, S. Auguſtino lib. 17. de Civi Dei. c. 20. ubi perſpicuè teſtatur, Siracidem verè de Chriſto Jeſu prophetaſſe, deque Gentiùm converſione. Verba pendas. *In Eccleſiaſtico fides Gentium futura prædicitur iſto modo*: Miſerere noſtri Dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum, ut ſicut coram illis ſanctificatus es in nobis, ita coram nobis magnificeris in illis, & agnoſcant te, ſecundùm quod & nos agnovimus. *Hanc ſuboptandi & precandi ſpecie prophetiam per Jeſum Chriſtum videmus impletam.* Id quod ex univerſa capitis 36. ſerie, & contextu legenti claret, ex illis præſertim verbis v. 10. *Feſtina tempus, & memento finis, ut enarrem mirabilia tua.* Noverat planè noſter Sirac tempus adventus Meſſiæ, petitque vehementer ut ocyſſimè pervolet, Deuſque recordetur *finis*, id eſt, Chriſti ad terras mittendi, ſuamque apud mortales legationem inituri: ut volunt ibi apud Dionyſ. Cart. nonnulli, & apud Lyranum vel Hæbræi ipſi. Jeſum porrò *finem* vocat, cui ſua ille ſcripta prophetico dicabat obtutu: idcirco ſubjungit: *Da mercedem ſuſtinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Id eſt, mitte jam Jeſum noſtrum Aſſertorem diviniſſimum nobis illum anxiè ſpectantibus, ut ſic Prophetæ, qui illum venturum prædicimus, veraces inveniamur.

Siracides verè de Chriſto prophetavit.

S. Auguſt. Eccleſ. 30.

Eccle. 36. 10.

Dionyſ. Carthuſ. Lyran.

33. Conſonat Galatinus lib. 1. de Arcanis c. 13. *Jechonias Sirach præclarum librum edidit, quem nos Eccleſiaſticum appellamus, in quo plerumque de Meſſiæ divinitate, ac divini Verbi incarnatione fit mentio.* Confirmatur auctoritate illorum, qui ſæpè ad comprobandam Chriſti divinitatem, & Incarnationis cæteraque corporati Verbi myſteria & magnalia, non pauca ex hoc Eccleſiaſtici libro depromunt teſtimonia, ſibique veriſſimè perſuadent, à ſe illa in ſenſu verè litterario adducta. Auctores non enumero, ne ſacrarum litterarum Interpretes, & Scholaſticæ Theologiæ Profeſſores enumerem penè omnes.

Galatin.

34. Aſſertioni noſtræ ſplendorem conciliemus ex ipſo Siracidis nomine, & cognomine. Ut enim egregiè S. Iſidorus lib. 7. etymol. c. 8. *Quorundam Prophetarum etymologiæ nominum annotandæ ſunt; vocabula quippe illorum ſatis oſtendunt, quid in futuris factis, dictiſque ſuis prænuntiaſſent.* Etenim non niſi arcaniſſimè Eccleſiaſtici libri Auctor *Jeſus Sirac* appellatur, ut qui de Dei Filio corporato tam multa, tamque perſpicua erat prævifurus, & evulgaturus ſacramenta. Sic etiam *Iſaias* à nomine habuit, ut totus ille unum Jeſum annunciaret, & prædicaret. Eſt enim *Iſaias* Hebraicæ idem atque *ſalvator Domini*, *ſalus* aut *Jeſus Deus*, ut obſervat Leo Caſtrius: nam illud ita exponit *Jeſcua ia*, id eſt, *Jeſus Deus.* Et Deus quidem quaſi imminutus, & ad humanæ naturæ compendium reductus: eſt enim *Ia* nomen Dei compendiarium, & majoris nominis divini *Jehovah* abbreviatio. Unde eo Chriſtum Dominum ſignificari, & ipſa vocis immunitione oſtenditur, & non pauci jure arbitrantur: apud Forſte-

Ex ipſo Siracidis Ieſu nomine & cognomine probatur.

S. Iſidor.

Iſaias; Ieſus Deus quaſi imminutus.

יהישוע

S. Auguſt.

Forſterum in Dictiona. Hebraico. Si ergo, ex Auguſtini mente lib. de Geneſi ad liter. *nomen appellatur* quaſi *notamen, quòd rem notet*, quid aliud, niſi unum Jeſum Deum & hominem, atque humani generis Aſſertorem à noſtri Siracide Jeſu nomine prænotari dicemus?

Syrac etymologia.

35. *Sirac* verò cognomen duo præſertim ſignificat in Vocabulario Hebraico Complutenſi. Primò *Sibilus*; ſecundò *Canticum fratris*; forſan à verbo *Sarac*, quod eſt *ſibilare*, & *canere*. In primis, *ſibilus* appellatur, eò quòd ex alta prophetiæ ſpecula eminùs ſibilaverit, Jeſum Chriſtum longè ſalutans, annuncians, & ad Eccleſiæ caulas vocitans. Nam ad paſtores fit alluſio, qui verno tempore ſolent ſibilo greges in paſcua vocare. Meritò Sirac *Paſtorem* vocitaveris, qui ſic ad agnum, & ovem ſibilaverit cum Iſaia 16. 1. *Emitte Agnum Dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Cognoverat enim *Jeſum* per anagramma idem eſſe quod *Agnus*, & *ovis*; ut claret ex ejus anagrammatiſmo, Ιησȣς, ſic reſoluto, συ,η,οις, id eſt, *tu es Agnus*, vel *tu ipſa ovis*: pulchrè excogitato à Guiliemo Blanco Albienſi lib. de Anagrammatiſmis. Ergo ad hunc Agnum, ad hanc ovem, Jeſum ſcilicet, ſuæ prophetiæ ſibilo clamabat Vates noſter: id circo *Sirac*, id eſt, *ſibilus*.

Ad Agnum Chriſtum ſibilavit. — Iſai 16. 1. — Jeſus, *id eſt*, ovis.

Sirac, *id eſt*, Canticum Fratris.

36. Cognominatur etiam *Sirac*, id eſt, *Canticum fratris*: quòd ſuaviſſimè concinat Chriſtum Jeſum fratrem noſtrum primogenitum in multis fratribus: de quo ipſe Siracides unà cum reliquis veteris legis Patribus Can. 8. 1. *Quis mihi te det fratrem meum ſugentem ubera matris meæ*? Et quidem nomen *canticum* in ſacris litteris ſolet pro Vaticinio de Chriſto non ſemel uſurpari, quemadmodum & verbum *canere* pro *prophetare*. Job. 36. 4. *De quo cecinêre viri*: id eſt, Prophetæ ſancti. Et Iſai 5. 1. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei.* Id eſt, præcinam, præibo quaſi præcentor, Chriſtumque Jeſum meum dilectum, amorem meum, meum patruelem ſeu patruum, meum cognatum, & fratrem ex mea gente naſciturum prænunciabo. Sic etiam Pſal. 44. qui totus eſt de Chriſto vaticinium, inſcribitur, *canticum pro dilecto*. Vel, ut Hieron. legit, *canticum amantiſſimi*; vel, ut Aquila, *amoris*; id eſt, prophetia de Chriſto, qui meus eſt amor, & dilectus. Itaque Siracides Jeſus, qui *Canticum*, id eſt, *prophetiam* de Chriſto ejus fratre & cognato erat exorſurus; *Sirac* ſive *canticum fratris* arcanè cognominatur: ut & nomine & cognomine, & ſcriptis ſuis Chriſtum prænuntiaverit, & præfiguraverit. *Ita quantum attinet ad propheticum apparatum, nec geri, nec dici poſſe aliquid inſignius, quandoquidem res perducta eſt uſque ad nominis expreſſionem*: aiebat in re perſimili ad rem maximè noſtram S. Auguſtinus.

Gant. 8. 1. *Chriſtus frater noſter.* — Job 36. 4. — Iſai 5. 1. — Pſ. 44. — S. Auguſt.

37. Certè hactenus dicta cadunt belliſſimè in noſtrum Siracidem, ob prædicta ab eo potiſſimùm in eo capite 24. cujus finis & ſcopus primarius extat Chriſtus Jeſu. Nam cùm probaverimus de Chriſto prophetaſſe, id ſanè ex nullo alio totius libri capite conſtare luculentiùs poteſt, quàm ex 24. Unde ad commendandam Chriſti divinitatem, & humanitatis præſtantiam non pauca mutuantur teſtimonia ſancti Eccleſiæ Doctores & Interpretes ſacri. Evariſtus Epiſt. 1. Sixtus 2. Epiſt. 1. Marcellinus Epiſ. 1. Anacletus Epiſ. 2. Hinc S. Athan. in Sinopſi ita de hoc 24. capite locutus: *Prophetia de Chriſto, qui eſt ſapientia Dei, & Filius fluviis comparatus.* Hinc etiam Paulus de Palacio nobilis Eccleſiaſtici enarrator exiſtimat. Siracidem *accepiſſe per revelationem, futurum, ut Sapientia genita ſeu filius Dei coram Deo, & coram omnibus Hierarchiis Angelorum, hanc luculentiſſimam orationem in ſui laudem habitura eſſet, quo die incarnari voluit.* Eódem ſpectant Abbas Fuldenſis, Rabanus Maurus, & Carthuſianus, exiſtimantes ad Chriſtum Dominum ejuſque myſteria ſpectare totum caput 24. Quod abundè clarebit ex noſtra acoluthia infrà ſubjicienda, & ex dicendis toto hoc opere.

Evariſ. Sixtus, Anaclet. S. Athan. — Palacio. — Raban. Carthuſ.

Moralis Deductio.

§. VI.

Sit nobis Chriſtus unica meta, & præcipuus ſcopus, inquem collimet noſtra omnis oculorum, & mentis acies, ne aberret.

38. AUdiſti de Prophetis omnibus, & de noſtro ſignatim Jeſu Siracide, unum oculorum & mentis acie collimaſſe potiſſimùm ſcopum, Chriſtum Dominum. Sic illi *Spiritu ſancto inſpirati*: ſic omnes, quotquot *Spiritu Dei aguntur*, non niſi Jeſus unica illis meta, & ſcopus præcipuus, ultra quem quidquid eſt, nihil eſt, de erratio eſt. Aiebat mundi Magiſter Luc. 16. 16. *Lex, & Prophetæ uſque ad Joannem.* Negotium faceſſit, quid ſibi velit Chriſtus hiſce verbis. Cur ſolùm uſque ad Joannis tempora lex & Prophetæ? Cur non ulteriùs Propheticus obtutus protenditur? Certè ultra Jeſum, qui cum Joanne erat, & à Joanne indigitabatur, non extenditur Prophetarum acies; præter unum Jeſum non eſt quod amplius intueantur; in uno Jeſu, uti in præcipuo, illorum oculi, & mentis acies terminantur: ſic habent quidquid habere, quidquid exoptare poſſunt. *Lex & Prophetæ uſque ad ipſum* (aiebat luculenter Auguſt. in Quæſt. ex novo teſtam. q. 69. *Prophetæ enim de illo locuti ſunt, ideò ultra illum, quæ ab his de hoc, id eſt, de Chriſto dicta ſunt, tendi non poſſunt, neque poſt ipſum aliquid hujuſmodi Prophetæ reperire potuerunt.* Igitur qui Jeſum videt, non aliud videre cupiat, quia quidquid videri poteſt ſine errore, jam videt. Unicus ille ſit oculorum, & mentis terminus, & ſcopus, ne miſerè deerremus.

2. Petri. 1. 21. — ad Rom. 8. 14. — Luc. 16. 16. — *Præter unum Jeſum non eſt quod amplius intueamur.* — S. Auguſt.

39. Numer. 21. 8. Mordebantur à ſerpentibus Iſraëlitæ, & cùm pro illis Moyſes deprecaretur, jubetur à Domino ſerpentem æneum fabricare, & pro ſigno ponere, ut qui percuſſus eum aſpiciat, incolumitatem conſequatur. *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno; quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Pro *ſigno* ponitur ſerpens æneus, id eſt, *pro ſcopo*, in quem ſagittæ collimantur; ſic enim ſolet uſurpari *ſignum* in ſacris litteris. Thren. 3. 12. *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam.* Et ſic poſitus eſt Chriſtus *in ſignum, cui contradicetur.* Certè ſerpens ille in ſignum poſitus Jeſum præfigurabat in crucem tollendum, ut qui pro hominum ſalute ſignum ibi extitit contradictionis, *ſignum* id eſt, *ſcopus*, ibidem eſſet, in quem noſtra oculorum & mentis acies directè collimaret. Ignobile animal effigiatur, in quod ut in ſcopum intuentes à morte liberantur; ſin verò à vera ſalute aberrant. Exaltatur ſerpens ut ſcopus. ut

Æneus ſerpens ad chriſtum ſpectat, in quem omnes ſpectare debemus ne aberremus. — Num. 21. 8. — S. Machar

S. Machar.

qui terrenis curis, & quacumque impietate detinebantur, hoc ſaltem modo exigerentur ad ſuperiora, & mortui quoad hæc inferiora, oculos attenderent ad ſublimia: aiebat ſapienter S. Macharius Homil. 11. Deerrat profectò à vera ſalute, qui oculorum, qui mentis aciem Chriſtum, & hunc crucifixum, uti in præcipium ſcopum, non dirigit. *Reſpiciamus igitur & nos* (ait Bernardus lib. de Paſſione Dom. c. 45.) *in faciem ſerpentis ænei, elevati Chriſti, ſi volumus à pravorum Dæmonum ſuggeſtionibus ſerpentinis liberari.*

S. Bernard.

40 Geneſ. 11. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Aquila legit, *in ſumma.* Quæ hæc ſumma? Quid hoc principium? Chriſtum multi interpretantur apud Geneſeos Enarratores. Et ſunt qui ex Hebræo legant: *propter principium*: quaſi Chriſtus prædicetur unicus creaturarum finis, in quem illæ reſpicere debent, uti in ſuum principium & bonorum omnium ſummam. Sed quid eſt, quòd ante omnia Chriſti Domini Moyſes meminerit? Cur non in Patre, vel in Spiritu ſancto creatum cœlum & terram dixit? Nonne Patris nomen ubique à Filio honoratur? Reſpondet argutè S. Bruno Ser. 1. de Trinit. *Noluit hoc Moyſes; imò Spiritus S. qui loquebatur in Moyſe, priùs nomen Filii ponit, ne Judæus quærendo erraret.* Præ oculis ponitur illicò in ipſo ſacrarum litterarum limine Chriſtus Dominus, ut principium, ut ſumma, ut finis, ut ſcopus omnium divinorum operum, ne quærendo erret Hebræus, ne Chriſtianus aliorſum inſpiciendo longè aberret. Patentiſſimus ſcopus eſt, ante oculos eſt, in oculos proſilit: *por los ojos ſe entra.* Cæcus ſit, qui non videat; amens, qui mentis acie hanc bonarum omnium ſummam non collimet.

Geneſ. 1. 1. *In principio Geneſis meminit Moyſes Chriſti, ne aliud quærendo aberremus.* — S. Bruno.

41 Numero 24. 15. ſic de Balaam ſcribitur: *Dixit Balaam filius Beor; dixit homo, cujus obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam Altiſſimi, & viſiones Omnipotentis videt; qui cadens apertos habet oculos.* Grandis viſionis apparatus, & quo nullum ſublimiorem legiſſe fatetur Adamantius. Pro illis, *dixit homo, cujus obturatus eſt oculus*, LXX. Vaticani legunt: *dixit homo verè videns.* Hebræ vertunt: *qui pulchrè, ſpecioſè, gratè, jucundè videt.* Complutenſis & Regia: *verax videns.* Quid hoc quæſo? quo enim pacto fieri poſſit, ut Balaam obturatus ſit oculis, & ſimul apertos habeat oculos? Oculi cæcutiunt, & oculi vident viſiones Omnipotentis? Num oculorum hæc cæca perſpicacia eſt? Porrò, dum Balaam *mercedem iniquitatis amavit*; dum divinationes propheticas vendere voluit, dum ad mundialia bona oculos conjecit, cæcutiens, & obturatus oculis appellatur, atque adeò totâ errans viâ. At ubi primùm mentis aciem in Chriſtum ex Jacob naſciturum direxit, veriſſimè dicitur verè vidiſſe, pulchrè, ſpecioſè, gratè, jucundè; recluſis tunc oculis, atque acerrimâ viſus acie deſcribitur. Audi ipſum ſic videntem, ſic vaticinantem: *Videbo illum, ſed non modò; intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël.* Id eſt, Chriſtus ex Jacobeo, & Iſraëlitico populo oriturus, qui ſtellæ adinſtar fulgentiſſimæ, ſtelláque menſerante viam, ſe manifeſtaturus erat Magis Regibus, Balaami poſteris, uti plures Eccleſiæ Patres explicant. Ecce tibi à Chriſto, & ſi *non modò, non propè* inſpecto, Balaamus *verè videns*; *pulchrè, gratè, & jucundè videt.* Certè, non verè, ſed mendaciter, ſed falsè videt; non pulchrè, ſed fœdè; non gratè, & jucundè, ſed ingratè, ſed injuncundè videt, qui aliud videt præter Chriſtum, & ea quæ Chriſti ſunt, Cæcus deerras, etſi mundialia omnia videas, dum unum Jeſum non vides, illum uti ſcopum oculis collimans. Hinc Prophetæ in ſacris litteris frequenter compellati *videntes*, utique à Chriſto viſo: ac ſi qui Chriſtum non videt, non ſit videns, ſed non videns, cæcus & obturatus oculis.

Num. 24. 15. *Balaam verè & pulchrè videns, quia Chriſtum videbat.* — LXX. — 2. Petri c. 2. 16. — *Prophetæ videntes dicti à Chriſto videndo.*

42 Et quidem, ſi in Chriſtum oculorum & mentis aciem dirigas, & omnes cogitationes tuas conjicias, quaſi par pari illi referes. Davidem auſculta ſic inclamantem Pſalmum 138. 17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus.* Ex Hebræo propriè vertas: *cogitationes tuæ, Deus.* Quaſi homines juſti ſint ipſius Dei *cogitationes*, ſeu ſcopus cogitationum divinarum. Et Pſ. 86. 7. *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Hebræa ſonant: *omnes aſpectus, conjectus oculorum, ſtudia, contemplationes ſeu cogitationes meæ in te*: in Eccleſia nempe, in quam cogitatè collocat Deus ſuorum oculorum, & mentis aciem, & univerſas cogitationes ſuas. Et Pſal. 10. 9. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt.* Chryſoſtomus, Theodoretus, & Euſebius in Bibliis Sixtianis transferunt: *Oculi ejus in totum orbem reſpiciunt.* Quaſi pauper, qui toti mundo adæquatur, & quidquid pulchrum, & pretioſum in toto orbe eſt, in ſe contineat excellentiori modo; extet omninò oculorum divinorum meta, & ſcopus. Igitur qui ſuas omnes in nos cogitationes, conjectus oculorum, contemplationes, & ſtudia conjicit; ex æquo vult ut noſtras nos in illum cogitationes, oculorum aciem, & ſtudia omnia conjiciamus. Hinc illud Sponſæ Cant. 2. 17. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et c. 6. 2. *Ego dilecto, meo, & dilectus meus mihi.* Quid, dilectus ipſi? quid, ipſa dilecto? Mutuam Sponſi & Sponſæ; Chriſti & Eccleſiæ *intentionem* agnoſcit Bernardus ſer. 78. *Mihi intendit. Itane huic intenta eſt illa majeſtas, cui gubernatio pariter, & adminiſtratio Univerſitatis incumbit? Ita planè.* In cujus rei probationem illud affert Sap. 4. 15. *Quoniam gratia Dei, & reſpectus in electis illius.* Certè *intendo* de illis dicetur qui ſignum collimant: *intenti ſpectant ſignum*: de illis, qui totis ingenii viribus rei alicui incumbunt, ac diligenter intuentur. Intentus Eccleſiæ ſuæ Jeſus eſt, quantus quantus eſt; intenta illi tota ipſa eſt. *Talis eſt dilectus meus, & ipſe amicus meus,* Ex Hebræo legas: *& ipſe eſt cogitatio mea.* Ego ſum ejus cogitatio, & ipſe eſt cogitatio mea. *Quaſi ex æquo* (ait Bernar.) *rependit vicem.* Unde ad mores noſtros concludit ex verbis ſponſæ: *An non tibi videtur, veluti his verbis dictum: Intendite illi, quia ipſe intendit vobis?* Igitur totas noſtras cogitationes Chriſto deſtinemus, totam oculorum & mentis aciem illi mancipemus; ipſi & non alteri, ne alteri intendentes à ſcopo aberremus. O felix qui ſolùm videt Jeſum!

Chriſtum videndo par pari referimus. — Pſ. 138. 27. — Pſ. 86. 7. — Can. 2. 17. & c. 6. 2. — S. Bernar. — Sapi. 4. 15. — Virg. Ænei. 5. — S. Bernar.

§. VII.

De altero capitis 24. ſcopo, ſive ſecundario ſenſu litterario, Virginem Matrem ſpectante.

43 HActenus invaluiſſe ferè apud omnes, video, caput hoc 24. libri Eccleſia-